



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1601. usque ad annum 1605

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118790

§. 188. Nova Lutheranorum attentata contra Catholicos hujus urbis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67204)

Sæc. XVII. vellent; nec his contenti, ut promissum
A. C. 1605. amplitudinem operis executione tue-
 rentur, die septima Octobris vernacu-
 las cantillenas, seu ut eorum verba
 sonabant, *gannitus* Ludimagistris imi-
 bebant, die autem quarta Decembris
 Ministellum Cæsareo mandato refragan-
 tem dimittebant, tantisper subrogato
 Cathedralis Augustanæ Concionatore
 Catholico, cui postea die vigesima ter-
 tia Decembris Dunzendorffensem Pa-
 rochum & Magistrum Michaelem Di-
 llinganum substitui rogabant.

§. CLXXXVIII.

*Nova Lutheranorum attentata con-
 tra Catholicos hujus urbis.*

Cum Magistratus quosdam cives Lu-
 theri veneno infectos improba pro-
 fus indulgentia in urbe tolerasset, at-
 que importunis eorum precibus cedens,
 in æde Sancti Joannis extra mœnia ur-
 bis, Præconem & coetus habendi pote-
 statem fecisset, mox unice ex hac cor-
 rupta parte gangræna in corpus senium
 diffundi, ac paucorum audacia in plu-
 rimum petulantiam excrescere cœpit: in
 enim anno sequenti insuper in ipso Pa-
 rochiali Templo locum & horam a Ca-
 tholicis Sacris vacuum sibi concedi, a
 Senatu postulant, passique repulsum
 paucis

Sæc. XVII.
A. C. 1605.

paucis post mensibus conspiratione conflata Magistratum inopino impetu obruunt, ac per Sylvestrum Raith olim urbis Syndicum vim minasque intentant, perculsumque Magistratum compellunt, ut quod nuper eis juste dene-gaverat, coactus concederet: nec hic stetit Lutheranorum pervicacia; vix enim in ædem Sacram irreperant, cum Catholicos studiose querelis, litibus, jurgiisque molestare inciperent, Sacrorum horas pro suo arbitrio mutarent, ac denique a Paræcia exclusos ad S. Crucis Templum, & Divi Viti Sacellum amandarent. Nondum his injuriis satures, violatis Pacis Religiosæ edictis, ac sus deque habita proprii promissi fide anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo prohibent, ne plures quam duo Monachi funera comitentur, ne Christi Crucifixi imago, aqua lustralis, faces, thuribulum aut alii ritus adhibeantur, ne S. Sacramento ad ægros deportato honor exhibeatur, neve ullus Catholicis in urbe sit sepulturæ locus, sed duntaxat extra oppidi mænia. Pari audacia decimo post anno jamjam aucto suorum numero, atque instigantibus Ministellis legem fanciunt, ut nullus civis coram Catholico Parocho matrimonium contraheret, aut prolem Baptizandam ei

Hist. Eccles. Tom. LIII. Yy of-

Sæc. XVII. offerret: id si fecerit, jure civitatis pri-
A. C. 1605. vandus: additum quoque, neminem
 ex Catholicis in Senatum deinceps esse
 assumendum. Hoc Prædicantium pro-
 clama eorum Cauffidicis Fröschlin,
 Tradlseo, & Seutero nimis durum ve-
 debatur, eoquod civium & Senatorum
 potissimi ac Saniores adhucdum Catho-
 licam Religionem, quæ juxta Pacis
 compositionem in Imperii civitatibus
 toleranda esset, addicti forent, proin-
 duntaxat Ministrorum consensus pro
 Baptizandis vel matrimonio jungendis
 petendus esset: deinceps vero nullus
 civitatis jure donandus, nisi Confessione
 Augustanæ addictus esset, quod tamen
 recta adversabatur privilegio, quod Fri-
 dericus Imperator anno Christi millesimo
 quadringentesimo sexagesimo quinto
 Catholico Magistratui concesserat, ac
 postea Maximilianus II. confirmabat.

§. CLXXXIX.

*Justæ Catholicorum querelæ contra
Lutheranorum insultus.*

*Mercur.
Gallo Belg.
annal. tom. 6.
lib. 2.
Brunner.
annal. Boic.*

Ne Lutherani Catholicorum modera-
 tione abutentes usurpatæ auctori-
 tatis vim in jus, temporis beneficio ob-
 tentum trahere præsumerent; Christo-
 phorus tum Monasterii ad S. Crucem
 Abbas primum de injuria apud Magi-
 stratum